

scunt. *Isti admonendi sunt ut sciant se servos esse dominorum: illi admonendi sunt ut cognoscant se conservos esse servorum*¹. — Gravia haec S. Gregorii verba, pastoralia documenta omnia ad rem continent, atque hisce praesertim temporibus attente consideranda sunt. Ordinum, enim, civilium pugna adeo discordiam eos inter auxit, ut, nisi constans Evangelii iustitia instauretur atque muneric iurisque mutui observantia, bellum futurum sit utriusque factioni fatale.

304. — De Superioribus et inferioribus. — *Aliter admonendi sunt subditi, atque aliter Praelati: illos ne subiectio conterat, istos ne locus superior extollat: illi ne minus quae iubentur impleant, isti ne plus iusto iubeant quae compleantur... Illi discant quomodo ante occulti arbitri oculos sua interiora componant, isti quomodo etiam commissis sibi exempla bene vivendi exterius praebeant...; illi ne disstrictius puniantur si absoluti reperire nequiverint saltem de se: isti ne de subditorum erratis iudicentur etiamsi de se iam de se securos inveniunt: illi ut tanto circa se sollicitius vivant, quanto eos aliena cura non implicat, isti vero ut sic aliorum curas expleant, quatenus et suas agere non desistant, et sic in propria sollicitudine fervant ut a commissorum custodia minime torpescant... Admonendi sunt... qui praesunt ut per circumspectionis studium oculos pervigiles intus et in circuitu habeant, et coeli animalia fieri contendant... Admonendi sunt subditi ne Praepitorum suorum vitam temere iudicent si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde mala recte redarguant, inde, per elationis impulsu[m], in profundiora mergantur. Admonendi sunt ne cum culpas Praepitorum considerant, contra eos audacieores fiant². — Quum vero illud obtineat quod in ecclesiastica censura, etsi non sit acceptio personarum, est tamen discretio meritorum³, idcirco in electorum examine non solum culparum causae pensandae sunt, sed etiam merita personarum⁴. Igitur cum magni viri cadunt communi iudicio tradendi non sunt, quia priora opera promerentur ut posteriorum gravitas levigetur⁵. Profecto ipsa culpae levigatio non acceptatione personae decernenda est, sed respectu prioris vitae, quia ad absolutionem illius Sanctae Ecclesiae lucra pensanda sunt, non carnalis affectio admittenda⁶. Insuper coram subditis attenuandae sunt culpae Praesulum et, nisi publicae sint, abolendae prorsus, sicut et Do-*

¹ S. Gregorius Magnus, *Regula Pastorialis*, Par. III, cap. 5.

² Id. Ibid., cap. 4.

³ Id. In I Reg., lib. IV, cap. 10, n. 56.

⁴ Id. Ibid.

⁵ Id. Ibid.

⁶ Id. Ibid.

minus fecit qui Mariam Moysis sororem punivit, Aaron autem pepercit¹. Qui secus egerit insolentiam subditorum fovebit, qui non in reum tantum, sed in auctoritatem quoque insurgent. At vero omnino opus est ne auctoritas minuatur; *non est, enim, potestas nisi a Deo*²; ac quamvis ea homines male utantur, non imperium delinquit, sed Praesul.

§ VII. — De Confessionis Sacramento iuxta personarum virtutem, bonae voluntatis gradum, intelligentiam, ignorantiam, malitiam, indolem, et valetudinem.

SUMMAE RERUM. — 305. Animadversiones praeviae. — 306. Iuxta virtutem. — 307. Iuxta voluntatis gradum. — 308. Iuxta intelligentiam. — 309. Iuxta ignorantiam, infirmitatem aut malitiam. — 310. Iuxta indolem. — 311. Iuxta valetudinem.

305. — Septem hae causae, effectus pariunt varios, non omnes reo imputandos pariter, quare vario modo et reatus aestimandi sunt. De quo argumento sequentia sint:

306. — Iuxta virtutem. — Ut correptione iuventur, omnes maiore vel minore virtute egent qua eam suscipiant. At, sicut medicus aegroti vires aestimat antequam potionem admoveat, ita Pastor antequam corrigat fidelis virtutem perpendat; secus, enim, illa forte quae aiudierit statim mente dimittet, nec aliud nisi taedium retinebit et forsitan peior efficietur. Enimvero, meminerit Pastor, correptionem non cibum sed pharmacum esse: quare veluti cibus immoderatus, etsi suavis sit, nocet, ita pharmaca nimia laedunt potiusquam sanent, et medicamina vires perdunt cum sanis membris apponuntur³. Imitetur, itaque, medicum Pastor, tantumque pharmaci spirituali aegroto praescribat quantum ille ferre valeat; nam, plerumque, debile corpus... adiutorium forte non sustinet. Studeat, igitur, qui medetur quatenus sic supraexistentem morbum subtrahat, ut nunquam supposita... debilitas crescat, ne fortasse, languore, eum vita deficiat⁴. Sed de hoc diximus alibi.

307. — Iuxta bonae voluntatis gradum quam de sua emendatione fidelis fovet. — Ut, enim, saepe, magisquam e medela, ex voluntate salus pendet, aut saltem apta voluntas minorem medicinam exigit, ita cum Pastor paratum ad emendationem fidelem videt, non tantum a graviori

¹ Cfr. Numer., XII, 15; XX, 26.

² Ad Roman., XII, 1.

³ S. Gregorius Magnus, *Moral.*, lib. VI, cap. 39, n. 64.

⁴ Id. *Regula Pastorialis*, Par. III, cap. 37.

poenitentia abstinet, sed vel reo parcit, vel etiam reatum illi sponte puniendum concredit. Tunc facile poenitens hac suavitate commotus, maiora quoque faciet quam ille expetisset. *Multi, enim, cogitantes quae audierint et quam iuste audierint, ipsi se gravius et severius arguerunt*¹. Pastoris praecipua ars haec erit ut magis amore quam metu quis flectatur ad bonum: quod si simplici monimento, vel etiam dissimulatione fieri possit, non est cur redargutione quis utatur. Et recte sane, quia ratio ipsa illud dictat quod *sicut districti existere superbis debemus, ita obstinati esse humilibus non debemus*². Dicimus igitur: quo magis voluntas parata habeatur, eo minus esse urgendum.

308. — Iuxta intelligentiam, oportet ut, exhortationis gratia, singulis iuxta capacitatem ingenii conferatur...; debet, enim, subtiliter is qui docet perspicere ne plus studeat quam ab audiente capitur praedicare: debet, enim, ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvulis sublimia, et idcirco non profectura, loquitur, se magis curet ostendere quam auditoribus prodesse³. Neque secus Apostoli, qui curaverunt summopere rudibus populis plana et capabilia, non summa, neque ardua praedicare... Nam si scientiam sanctam ut hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate eius auditores suos opprimerent potiusquam rigarent⁴. Quae et Paulus egit scribens Corinthiis: *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam*⁵. Dignum quippe est ut qui praedicat auditentis modum consideret, quatenus ipsa praedicatio cum auditoris sui incrementis crescat... Auditores ergo rudes non inundatione scientiae, sed moderata praedicationis distillatione foveantur; quod non tantum in privata, sed etiam in publica fidelium instructione servandum, de qua postrema plura infra⁷.

309. — Iuxta ignorantiam, infirmitatem aut malitiam. — Tribus modis peccatum admittitur: aut ignorantia incurritur, aut infirmitate committitur, aut studio perpetratur. Sed sicut gravius est infirmitate quam ignorantia delinquere, ita peius est studio quam infirmitate peccare⁸. Ignorantia peccavit Paulus qui prius fuit blasphemus et peccator, sed misericordiam consequutus... quia ignorans fecit⁹. Imbecillitate cecidit

¹ S. Augustinus, *In Epist. ad Galatas*, 51.

² S. Gregorius Magnus, *Homil. in Ezechiel*, lib. 1, hom. 11, p. 16.

³ Id. *Moral.*, lib. XX, cap. 1, n. 4.

⁴ Id., Ibid., lib. XVIII, cap. 26.

⁵ I Corinth., III, 1.

⁶ S. Gregorius Magnus, *Moral.*, lib. XVII, cap. 26, n. 38.

⁷ Cfr. indic. alphabetic *Concio*.

⁸ Id. *In Sept. Psalm. Poenitent.*, psalm. 3, n. 5.

⁹ Id. Ibid.

Petrus quando mentis aedificium, fidei fundamentum titubante, concussit¹. Pharisei malitia peccarunt, quia eum quem inaudita miracula facientem videbant, execrabilis invidiae facibus accensi, ut morti traderent consilium quaerebant². Patet, enim, aliam atque aliam esse culpam peccantis ob malitiam, ob ignorantiam et imbecillitatem; unde eruitur omnes hos errores una eademque sententia iudicandos non esse, neque eadem poena puniendos; quod nimis leve illis, istis nimis rigidum erit, utrique autem parti ineptum et iniustum. Etenim, non omnes culpae acriter feriendae sunt: nam leves pulveris maculae melius excutiendo quam lavando aut ignem apponendo merguntur³. Qui plus peccat ilie puniendus est magis; qui minus offendit levius castigandum est. Quapropter cum non malitia sed sola ignorantia vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur⁴. Citius, enim, culpa dimittitur quae nequaquam malitiae studio perpetratur⁵. — Idcirco culpae ignorantia, aut infirmitate admissae nunc tegenda, nunc leviter puniendae sunt, quia levis eorum malitia est. Cuius rei caussam Divus Gregorius alibi hisce explicat: *Cuncti, quippe, quousque in hac mortal carne subsistimus, corruptionis nostrae infirmitatibus subiacemus. Ex se ergo debet quisque colligere qualiter alienae tunc oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem ferventius rapitur, oblitus sui esse videatur*⁶. Insuper [omnes meminerint Pastores] magnum est ignorantiae pelagus⁷, quo fit ut saepe culpae [inepte] malitiae adscribantur. Humana quoque infirmitas quam maxima; quae si Pastores attente considerent, divinae potius charitatis oleo peccatorum vulnera linient, quam ferro et igni urant, iusta monitum Apostoli, *suscipite infirmos*⁸. — Culpae, contra, quae ex malitia aut ex hypocrisi admittuntur acriter plectendae sunt; tales, enim, peccantes excusationem de peccato suo non habent, quia etsi malum sit bond non agere, tamen nequius est bonum actum odisse⁹. Huiusmodi, enim, perfidi viri ante districtum iudicem excusationem de ignorantia habere non possunt, quia dum oculos hominum omnem modum sanctitatis ostentant ipsi sibi sunt testimonio quia bene vivere non ignorant¹⁰.

¹ S. Gregorius Magnus, *loc. cit.*

² Id. Ibid.

³ Id. *In I Reg.* lib. V, cap. 4, n. 50.

⁴ Id., *Regula Pastoralis*, Par. II, cap. 10.

⁵ Id. Ibid.

⁶ Id. *In Sept. Psalm. Poenitent.*, psalm. 3, n. 14.

⁷ Id., *In I Reg.*, lib. V, cap. 4, n. 50.

⁸ Ad Thessalonici, V, 14.

⁹ S. Gregor. Magnus, *Moral.*, lib. XXXII, cap. 58.

¹⁰ Id. Ibid., lib. XVII, cap. 26, n. 38.

310. — Iuxta indolem. — *Antequam infirmum aggrediatur curationem adhibitus, meditetur attentius et perpendat diligenter qualitatem morbi..., corporis complexionem et, ut S. Gregorius loquitur, conspersionem, id est an sanguineus et hilaris, an melancholicus et tristis, an colericus et praecipus, an laetus sit et remissus*¹. Cuius rei mirum praebuit specimen Paulus qui vario cum Corinthiis, vel cum Galatis modo se gessit; illos, enim, dociles, hoc pervicaces noverat. Quare ad illos scripsit: *Obsecro autem vos fratres*²; ad hos vero: *miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratia Christi*³. Cum illis incipit laudans et, paulisper loquens ad increpandum leniter venit, divisos erga seipsos reprehendit, et quorum prius salutem narraverat, postmodum vulnera patefecit. Peritus, enim, medicus vulnus secundum videns sed aegrum timidum esse conspiciens, diu palpavit et subito percussit. Prius blandam manum laudis posuit, et postmodum ferrum increpationis fixit... Et in hoc quoque ad medicinam cordis a medicina corporis usum trahens. Nam cum feriendum vulnus medicus aspicit, prius ea membra quae circa vulnus sana sunt palpant, ut postea ad ea quae vulnerata sunt, leniter palpando, perveniat⁴. Cum Galatis, contra, nullo modestiae potentia praemissa, nulla locutionis dulcedine praerogata, eos quos a fide discessisse cognovit, ab ipso epistolae suae exordio invehendo redarguit... Nam saepe hi qui impudentes sunt, tantum se peccasse sentiunt quantum de peccatis quae fecerint increpantur, ut minores suas culpas aestiment quas inventio minor castigat, et quos vehementer obiurgari viderint, maiores esse apprehendant⁵. Ut autem proprius ad rem descendamus:

a) Cum viris ignita indole praeditis, sermo primus sit brevis ut ira cadat, deinde vero iteretur ut quod est in votis assequatur. Nam subitis imaginibus huiusmodi homines vivunt, atque eos subito impetu commovere iuvat, ut cum Saulo egit Dominus qui percussum primum et prostratum, in apostolum ac vas electionis immutavit. *Mentes, enim, asperae si increpatae leniter fuerint, ad maiores culpas, ipsa lenitate, provocantur*⁶.

b) Timidi et pusillanimi, qui in fletum facile erumpunt, haud fere corrigendi sunt, quia sponte veluti corrigitur. Hoc modo cum Petro et cum Magdalena Dominus egit, quos, uno ictu oculi, convertit. *Verecundae, etenim, mentes si fortasse culpas admiserint, leniter arguenda sunt, quia si asperius increpantur, franguntur potiusquam erudiantur*⁷.

¹ Acquaviva, *Industriae*, cap. I, n. 8.

² I Cor., I, 10.

³ Ad Galatas, III, 1.

⁴ S. Gregorius Magnus, *Homil. in Ezech.*, lib. I: homil. 11, n. 18.

⁵ Id., ibid. 14.

⁶ Id., ibid. 18.

⁷ Id., *Regula Pastoral*, par. II, cap. 10.

c) Cum pervicaci et protervo dulcia verba et lenia nihil proficiunt, sed eum ad culpam retinendam confirmant. Oportet, igitur, validis argumentis eum vincere quae repellere illi nequeat, ut vir huiusmodi cum sibi malum quod perpetravit levigat, hoc contra se graviter, ex corripientis asperitate, pertimescat¹. Mentes durae, nisi essent aperta increpatione percussae, nullo modo malum cognoscerent quod egissent². Hac arte Jesus cum Thoma se gessit quem, ostensis vulneribus suis, vicit. Ardua tamen horum correptio, plerumque, est, et multa patentia eget; quin immo huiusmodi viri superbia magis quam veritate multas suae proterviae excusationes quaerunt. At dupliciti sit criminis reus qui admittit scelera per voluntatem, et defendit per contumaciae tumorem³. Attamen, interdum, cum isti inter flagellorum duritiam remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi. Quos, enim, cruciamenta non corrigit, nonnumquam, ab inquis actionibus lenia blandimenta compescunt. Quia et, plerumque, aegros quos fortis purgamentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua revocavit, et nonnulla vulnera quae curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur⁴.

311. — Iuxta valetudinem. — Varius corporis habitus mores ipsos varie commutat et componit, ipsaeque culpae saepe ex corporali caussa magisquam ex morali oriuntur. Quare et ipsa fidelis valetudo in confessione spectabatur, et quo magis ille aegrotet, eo minus redarguendus est; quin immo reprobensio omnis saepe cum talibus omitenda videtur. Physico, enim, dolore iam ille poenam luit, quae augenda, plerumque, morali poena non est. *Afflito, quippe, afflictio non est addenda*, ut docetur in iure. Enimvero, *cum percussio corporalis utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc iudicium ignoratur, non debet a nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpae, quod absit, offensa respiciat*⁵; etenim *cum superna flagella insunt, non a nobis iam correptio, sed consolatio debetur, ne dum dolore increpationem iungimus, percussionem percussioni saeviemus*⁶. Decet, igitur, expectare ut convalescat, tuncque eum admonere ac nisi emendetur redarguere: physicus autem morbus cum morali ne confundatur, neve sinatur quis morbo corporis abuti ut animam pessumdet. Enimvero *quilibet in eo fuerit excessus, ipsa aegritudinis afflictio debuit pro flagello sufficere*. Quem, enim, divina disciplina conterit ei humana flagella addi super-

¹ S. Gregorius Magnus, *Homel. in Ezech.*, lib. I, homil. 11, n. 20.

² Id., ibid.

³ S. Isidorus Hispalensis, *De Sum. Bono*, lib. II, cap. 22, sect. 1.

⁴ S. Gregorius Magnus, *Regula Pastoral*, par. III, cap. XIII.

⁵ Id., *Epist.*, lib. II, indict. X, epist. 8, ad *Candidum Episcop.*

⁶ Id., *Moral.*, lib. XIV, cap. 51, n. 60.

*fluum est*¹. — Hos inter corporis morbos illi quoque recensendi iam sunt qui non tam ex corpore quam ex animo simul proficiscuntur et qui, ut plurimum, a phantasia originem habent, quorum curatio adeo difficultis evadit, ut nullo saepe pharmaco obtineatur. Sed de infirmis pressius dicendum.

§ VIII. — De confessionis sacramento quoad infirmos.

SUMMAE RERUM. — 312. Animadversiones praeviae — 313. Quaedam normae fundamentales recoluntur ac illustrantur — 314. De restitutione facienda ac de ecclesiasticorum bonorum usurpatione. — 315. Quomodo ad infirmum Parochus pervenire possit, et qua ratione cum ipso eiusque familia, quoad eius confessionem, se habere debeat.

312. — Ad necessariam ac congruentem Bono Pastori afferendam utilitatem, ad peculiares sacramentalis confessionis casus devenire oportet, ex quibus eius cum infirmis aegrotantibusque practica agendi ratio primum locum obtinet. Si enim, cum benevolentibus industriae omnes[quibus hoc sancto Redemptionis Nostrae mediante lavacro, a misellae naturae lapsibus resurgere fideles valent] adhibere Pastor tenetur, eo magis his qui, affecti vel fracti morbis, ad pastoralis suae caritatis officia sollicitudinesque peculiare ius habent, praestandae sunt. Qua in re si quoquomodo Pastor deficeret, animarum sine huius sacramenti [ad salutem necessarii] susceptione vitae functarum, coram Aeterno Iudice constitueretur reus.

313. — In re, igitur, sequentes normae fundamentales, ad practicam quod attinet oportunas, prae oculis habeat Pastor:

a) Sacerdotis ad infirmum accessionem uti mortis, vel sane periculi praenunciam saepe haberi, adeo certum ac divulgatum est, ut huic superstitioni obsistere numquam erit satis. Qua in re, in his praeiustis tamiliis huic indulgentibus ideae, non sacerdotis, sed amici ad instar, ad aegroti notitias postulandas se venisse, profiteatur Pastor. In primis et ante omnia de aegritudinis cursu ab infimo, parentibus ac familiaribus percontetur Parochus, quo, per corporis sollicitudinem, ad animae curam facilius gressus patebit. In Deo resignationem, agrotanti Pastor suadeat, et, opportunam occasionem nactus, confessionem, utpote non tantum animae, sed et corpori, per

¹ S. Gregorius Magnus, *Epist.*, lib. XI, indict. 10, Epist. 34, *Ad Maximum Episcop.*

mentis tranquillitatem profutram, innuat insinuetque. In imminentis periculi tantum casu, confessionem uti necessariam dicat, quam generatim uti idoneam consulat¹. Tunc:

- I. Si aegrotus annuat, eum confessarius praeparet, audiatque.
- II. Si dilationem expostulet, dummodo nullum adhuc apparat in procrastinatione periculum, tempus in quo redire possit sibi determinandum curet.

III. Si, e contrario, confessionem infirmus recuset vel, cum sit in mora periculum, differre contendat, tunc huius difficultatis inquirenda est causa, quae sive ex onerata et perplexa conscientia, sive ex cordis duritate, restitutione facienda vel ab humano respectu, ut plurimum, exoriri consuevit. Tunc in Deum fiduciam excitando, ac ferventibus pro infimo precibus, hic offensionis lapis sedulo admovendus, ne impoenitens ad tremendum Divinum tribunal imparatus infirmus accedat; quod sane bono Pastori tanti moeroris esse debet, ut recolere vix necessarium.

b) At infirmum ut confiteri velit excitasse minime sufficit, sed in ipsa quoque confessione peragenda adiuvandus quam maxime, et, dum circumstantiae sinant, ad sacramenti integritatem, generalis confessio nunquam satis suaderi potest. Praesertim vero infirmus interrogetur an peccatum hucusque non rite expositum habeat; an rem possideat alienam, an bonis ac famae proximorum illata damna reparaverit, an odium gerat, an peccandi consuetudine fuerit olim irretitus, an adhuc obstricatus ipsa sit, et an per generalem confessionem crimina sua iam expavit. Tandem an, tamquam Catholicae Ecclesiae filius, promptam omnibus fidei praeceptis satisfaciendi voluntatem habeat, et Eius, ut decet, filium vivere ac mori paratus sit, generaliter ab infimo Pastor sciscitur. — Quum vero in re politicas opiniones praevalidum saepe obstaculum ponere quotidiana experientia doceat, quae ab eo Ecclesia reapse postulet, a quibus factionum partes exigunt, omnino recte Pastor distinguat, ne hisce inserviendo, irreparabile detrimentum compareret. Attamen in examinandi modo aegroto ne sit molestus, neve in loquendo Pastor sit nimius quam maxime caveat; neque in contritione ac compunctione inspiranda modum excedat².

c) Quum vero nonnullos aegrotos scelera quae praecedentibus in confessionibus sacrilego reticuere silentio, in extremo agone patefecisse experientia doceat, eiusdem sacramenti iterationem, confessarius insi-

¹ Cfr. Frassinetti, *Il Parroco Novello*.
Par. II, Appendix I: Berengo, *Op. cit.* n. 110.

² Cfr. Berardi, *Op. cit.* n. 494.

nuare poterit. Quod, praesertim, si infirmum saepius ac frequenter irrequietum aut ipse deprehenderit, vel propinqui compererint, servandum est.

314. Restitutio facienda, nonnumquam, magnam confessario sollicitudinem facessit, in quo multa prudentia ac fortitudine opus est ut iustitiae leges sartae tectaeque serventur. Ad rem:

a) Si per se ipsum aegrotus restituere potest, id per heredes ne fiat; si non potest, aut per se aut per confessarium, iuxta intentionem suam quamdam pecuniam erogare heredes iubeat [nisi magis coniugi, vel fideli committere amico velit, a quibus voluntati suaee faciendo promissionem seriam exigat], aut in testamento codicillum ponat.

b) Attamen tum in his redigendis, tum in quae ad rem faciunt consulendis, nisi urgens necessitas cogat, ne sese immisceat Pastor. Ex contraria, enim, agendi ratione, criminationes, susurrations, calumnias, tum ex improborum hominum agmine, tum ex aegroti familia eiusque consanguineis, in Parochum oboriri, quotidiana experientia, amplissime docet!

c) Praesertim vero in subsidiis ab infirmo pro Ecclesia sollicitandis, perquam caute se gerat Pastor, qui quum non in argenti, sed in animarum capturam missus sit a Domino, si primum quaereret, et alteras amitteret. Quod numquam satis suadendum, ne avaritiae vel imprudentissimo zelo inserviendo, Dei iudicium provocet, ac inimicorum hominum insidiis, miserrima praeda fiat!

d) Si autem de bonis ecclesiasticis usurpati ageretur, tunc sequentia pro Italia a S. Poenitent. edita p[re] oculis Pastor babeat, quin tamen peculiares pro sua Natione [si adsint] ordinationes ac Ordinarii consilia negligeret:

I. Christifideles, qui bona immobilia, aut census, aut iura ecclesiae erupta¹ sine eiusdem ecclesiae venia acquisierunt, vel acquisita alienaverunt, vel acquisita per emphyteusim liberaverunt, qui tamquam patroni vindicarunt beneficia ecclesiastica et capellianas, qui redemerunt legata pia aut canones aut iura irredimibilia vel ex redemptione iuriuum natura sua redimibilium cum danno ecclesiae lucrati sunt², qui decimas non solverunt, et praedictorum omnium heredes et quoscumque successores;

II. quoties ob aliquam ex praedictis causis gubernio aut aliis venditoribus solverunt aut solvere debent non ultra triginta libellarum millia [30000] et, si de decimis sermone dummodo debitum hanc summam non superet, et si agatur de emphyteusi aut alio simili contractu, dummodo canon seu praestatio, iuxta legem civilem computata, respondeat capitali summae, quae itidem non excedat triginta libellarum millia³;

III. de speciali gratia admittendi ad compositionem, quae aequa videatur, servatis praesertim conditionibus et regulis, quae sequuntur:

¹ Cfr. S. Poenit. 11 mai 1892, 9 mart. 1894, 14 dec. 1898.

² Cfr. Eand., 1 jun. 1869.

³ Cfr. Eand., 18 jun. 1890.

1. Procedatur de intelligentia aliorum Ordinariorum, si quorum intersit, et de consensu eorum qui respective causas pias repreäsentant, aliorumque canonice interesse habentium¹.

2. In quantitate aequae compositionis determinanda considerentur: a) fundorum seu iurum valor realis eo tempore quo compositio initur, b) pretium emptionis, c) praesens oratorum status, d) id in quo ipsi oratorem cum damno ecclesiae ditiores facti sunt, e) onera pia, quorum, si adsint, praecipua ratio habenda est. Dat[ur] autem facultas ordinario eadem onera condonandi ex toto vel ex parte, si eis satisfactum non fuerit, nec non eadem reducendi pro futuro, iuxta vires, sive ad tempus, sive in perpetuum pro diversa causarum et adiunctorum natura; suppleente, quantum ad missas et alia suffragia attinet, Ss. Domino ex thesauro ecclesiae.

3. Benignior esse potest compositio, si pretium solutum vel canon assumptus, citra culpam emptoris vel emphyteutae, superet praesentem valorem fundorum; item pro eis, qui coacti affrancaverunt, et pro heredibus eorum, qui bona vel iura ecclesiastica, ut supra, iniuste possederunt, sed alias causas pias fundaverunt aut iuvarunt.

4. Ad compositionem adhortandi sunt etiam illi, quibus concessum fuit bona aut iura supradicta ad nutum ecclesiae retinere, subscriptis conditionibus alias designatis: *qui modus consulendi conscientiae fidelium non amplius conceditur.*

5. Ordinarius, quando agitur de fundis, in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, Oratores oretenus moneat de obligatione qua tentur, faciendi, sub directione Ordinarii pro tempore, quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras nunquam in usus profanos convertendi seu deputandi, idque debitis modis notificandi suis heredibus et successoribus.

6. Nullum documentum peractae compositionis cuiquam tradatur; quod si illud omnino exigatur, Episcopus per se iis qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare, eos omni obligatione conscientiae erga ecclesiam, ratione fundorum, canonum etc. exemptos et solutos esse.

7. Per has litteras eidem Ordinario fit quoque potestas hac ipsa ratione providendi etiam illis qui huiusmodi bona et iura acquirere, vendere, liberare, vindicare et redimere postulabunt, et si agatur de decimis, subducta computatione, quae supra pro canonibus et praestationibus statuta est; quin ex eo, praeter oratores eorumque heredes et successores, alii relevantur, et, quod ad patronos attinet, dimisso^r prorsus iure patronatus, et quin laesa censeantur iura investitorum, si adsint.

8. Eidem Ordinario conceditur etiam facultas indulgendi iis, qui super bonis habent imposita legata pia vel missarum onera, ut ea redimere valeant data summa, quae computatis fructibus ad quinque pro centum, redditus sufficientes quotannis praebat pro integro eorundem onerum adimplemento, et sub hac lege, ut, si praefata summa solvatur per publicas schedas [vulgo *di consolidato*] ipsae schedae non computentur iuxta nominalem ipsarum valorem, sed iuxta pretium, quod die solutionis effectiva in commercio habent.

9. Praeterea eadem s. Poenitentiaria praelaudato Ordinario facultatem concedit sive per se, sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam, ab eo ad hoc singulis casibus subdelegandam, oratores in praemissis culpabilis, postquam, ut supra, se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis in quas propterea quomodolibet inciderint,

¹ Cfr. S. Poenit. 18 jun. et 14 maj 1890; S. C. C. 25 jul. 1891.